



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propugnaculum: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Ioannes Baptista Frances n. 44

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

41. A PEREGRINO Nobili, qui ab Urbe in Patriam reuersus, quærenti quid vidisset Romæ pulcherrimum? Societatem IESV, respondit. Ita apud omnes florebat Romæ Societas. Sic refertur Par. 2. Hist. Soc. lib. 7. n. 12.

Pulchrum de Societate dictum.

42. A PETRO ESTEVARTIO Academiæ Ingolstadiensis Procancellario, & Rectore in Apolog. pro Societate ann. 1593. fol. 21. Hæc (inquit) vnica, & præcipua causa est odij vestri (cum Hæreticis loquitur) in Patres Societatis IESV, omnesque eorum Patronos & amicos, videtis enim salua Catholica doctrina ita defensa, quemadmodum à Societatis IESV hominibus publicè docetur, promulgatur, propugnatur, omnes hæreses labi & corruere: propterea Consilia, ac leuitatem vestram, vosque vt homines nihili, & vilissimos despici, ac contemni, &c.

In illam Hæreticorū odiam.

Quia eius doctrina hæreses labuntur, & corruunt.

43. * AB ALEXANDRO DE ROS Decano, & Canonico Tortosæ Protonotarioque Apostolico in sua Catalaunia fol. 440. ubi postquam in Sacratio Montis-ferrati Ignatium ante Virginis aras suspendentem arma, & Minoresæ corporis impetus domantem depinxit, statim subdit: Catalaunia denique natale solum est magnæ Societatis IESV, quæ vnicius sæculi spatio Scholas viris doctrinæ laude præstantibus Orbem Heroibus Apostolicis Ecclesiam propugnantibus, Cælum sanctis impleuit. Sic ille in citata sua Catalaunia vulgari lingua typis edita Neapoli ann. 1646.

Vnico sæcula Scholas viris doctrina præstantibus,

Orbem heroibus Ecclesiæ propugnantibus & Cælum sanctis impleuit.

44. A IOAN. BAPT. FRANCES Archidiacono, & Domino de Balpuesta Doctore Canonico Burgenfis Ecclesiæ in Censura ad Tom. de Incarnat. P. Bernal. Germana, inquit, est proles Societatis, in qua nihil mediocre, omnia prodire magna, &c. Toto hoc sæculo cateruatim libri de genere Giganteo prodire: omnes apud viros doctos tanti habiti quantum copiosæ Bibliothecæ testantur, & licet semper abundantia in semetipsam contumeliosa sit, vt Tertulianus loquitur, & rebus raris pretium faciat, vt Bernardus, perinde tamen amantur, & æstimantur, ac si rari; perinde abundant, ac si nihili haberentur, &c.

Nihil in ea non magnum.

Eius sapientia præcipue in librorum editione, commendata.